



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41vb-42ra  
transcribed by Andrea Colli

Tertio quaeritur utrum anima humana sit creata a Deo extra corpus.

Videtur quod sic. Quod non dependet ab alio secundum esse suum potest a Deo creari sine eo, sed anima rationalis non dependet a corpore secundum esse suum, quia post separationem a corpore ad hoc remanet sibi suum esse; ergo non oportet quod creetur cum corpore, sed potest ante corpus creari.

Contra. Proprius actus est in potentia propria, sed anima est proprius actus corporis, ergo videtur quod anima non possit creari nisi in corpore. Dicendum quod in hoc turpiter erravit Origenes ut sibi imponitur. Dicit enim quod omnes animae fuerunt simul creatae cum angelis ante corpus et dixit quod angeli et animae sunt aequales secundum condicionem naturae, dicens eas solum distare secundum meritum. Sed quod quaedam substantiae separatae alligentur corporibus ut sunt animae hominum et corporum super caelum, hoc est propter eorum demeritum. Sed quod quaedam remanent a corporibus separatae, hoc est propter puritatem bonitatis earum, quae non demeruerunt, ut essent corporibus alligatae. Et sic secundum eum omnes animae fuerunt creatae ante corpus. Sed hoc reprobatur Avicenna multum efficaci ratione tali supponendo ex dictis animae immaterialitatem, arguit sic. Impossibile est diversitatem in numero sub eadem specie creari nisi ex diversitate materiae, quia semper ad diversitatem formalium principiorum sequitur diversitas speciei. Si igitur anima non habeat materiam partem sui ex qua sit ut dictum est, non possent esse plures animae eiusdem speciei nisi propter diversitatem materiae in qua sunt; et ideo si ante corpus creatae fuerunt, oportuisse vel eas esse diversas specie. Et sic omnes animae differunt specie vel oporteret dicere quod esset tantum una numero. Et sic rediret error Commentatoris tactus in praecedenti argumento. Relinquitur igitur quod animae non sint creatae ante corpus. Ex hoc potest ostendendi quod anima non est de substantia Dei. Cum enim natura divina sit semper in actu intellectus et actus purus, nec in ea sint potentiae diversae ab essentia eius, impossibile est quod illud quod quandoque in actu est intellectus quandoque in potentia, in quo sunt etiam potentiae diversae, realiter ab eius essentia differentes sit idem cum essentia divina, sed talis est anima humana; quia cum ante addiscere et invenire sit sicut tabula rasa in quam nihil est depictum, oportet quod scientiam suam ex rebus acquirat et quandoque est intellectus vel intelligens in actu quandoque in potentia /42ra/ in ea etiam sunt potentiae realiter ab eius essentia differentes et sic non est actus purus et ideo ipsa de substantia Dei non est.

Ad argumentum in oppositum dicendum quod secundum Avicennam, quamvis anima non dependeat a corpore quantum ad suum esse vel suum finem, tamen ab eo dependet quantum ad suum principium, cuius rationem assignat, quia cum universalis esse non habeant nisi in anima, oportet quod quicquid secundum esse producitur in re extra producatur secundum esse individuatum. Cum ergo anima esse individuatum non possit habere nisi in corpore ut ei coniungitur ut forma, oportet quod incipiat in corpore esse; quia cum in corpore acquiratur sibi esse absolutum non depressum nec obligatum ad corpus, ideo post destructionem corporis remanet sibi suum esse individuatum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum paradisi de quo fit mentio in littera sit locus corporalis. Dicendum quod Origenes tenuit quod paradisi non esset aliquis locus corporalis, sed illa quae dicuntur de paradiso sunt allegoricae dicta et interpretanda sunt de paradiso spirituali secundum ipsum.



University of Cologne  
Department of Philosophy  
Thomas Institute



*This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033*

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 41vb-42ra  
transcribed by Andrea Colli

Sed istud non tenitur a doctoribus, sed dicunt omnes quod paradus est locus corporalis situs indeterminata parte terrae temperatissimus et amenus, sic ut nullus homo perturbationibus impeditus deliciis spiritualibus quiete frueretur.

Hunc autem paradusum dicunt aliqui esse in parte orientali, quia cum oriens sit dextra pars caeli, ut dicitur II Caeli et mundo, et illa pars dignior est quam sinistra. Dicunt quod convenienter locus sit delectabilis, collocatus sit in parte orientali et dicunt quod est sub aequinotiali circulo quia, ut dicunt, ille locus est temperatissimus propter aequalitatem dierum et noctuum omni tempore, quia nec sol elongatur ab eis multum, ut sit in eis habundantia frigoris, nec etiam apud eos est habundantia caloris, quia et si sol pertranseat super capita ipsorum, non tamen moratur diu in tali dispositione.

Tamen Philosophus in libro Meteororum vult expressio quod regio illa sub aequinotiali est omnino inhabitabilis propter aestum, quod videtur probabilius, quia terrae in quibus sol numquam pertransit, ita directe sunt inhabitabiles propter solam vicinitatem solis. Et ideo etiam regio illa, quae est inaequinotiali, cum eam sol directe pertranseat super zenit capitis, dicitur inhabitabilis. Quicquid cum de hoc sit tenendum est paradusum esse locum temperatissimum vel sub aequinotiali vel alibi situatum.

TEACHPRO